



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

33 Ordinariorum jurisdictionio in quibus à Gregorio XIII. ad pristinum statum  
sit restricta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum 2, ad Corinth. cap. 11.

33 Quamobrem † (ut institutam rem prosequamur) ne Ordinariorum jurisdictionis aliqua in parte perstringatur; sed, ut oves sibi creditas juxta antiqui juris communis, & decretorum sac. concil. Trident. dispositionem liberè regere, & ad viam salutis dirigere possent Gregor. Papa XIII. litteras Pij V. pro regularibus, ac in omnibus, & quibuscumque in eis contentis, eam deinceps dispositionem, atque decisionem pro subiecta materia futuram esse, quæ, sive ex jure veteri, sive ex sacris sacri concilij Tridentini decretis, sive aliàs legitimè ante dictarum litterarum constitutionem editæ erunt, & si ipsæ non emanassent, futura fuissent, ad æquam dispositionem, & decisionem suamque pristinum, & integrum statum, ac terminum illa reduxit, & omnia in contrarium facientia sustulit, & abrogavit, ut in litteris ejusdem Greg. Pa-  
pe XIII. sub Dat. Romæ Kal. Martij anno 1572. de quibus in Bul. Rom. cap. 15.

34 Et, † cum fuerit reducta ad terminos juris, & decretorum sacri concilij Trid. remanent sub eorundem decretorum, & juris communis dispositione; Bar. in l. si & milites, §, sed & fortassis, ff. de excus. tut.

35 Confraternitatibus verò, † & congregationibus erigendis, instituendis, seu aggregandis ea tantum privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta, Ordines, & religiones concedere possunt, quæ eisdem Ordinibus, & religionibus instituendis, seu Archiconfraternitatibus, &

congregationibus, aggregationibus nominatim, & in specie, non autem per extensionem, vel communicationem illis quovis modo concessa sunt, & illa quidem, non sub generalibus verbis, vel ad instar, sed expressè, & in specie communicare valent, ut in eadem consir. §, huic verò Archiconfraternitates autem † & alij confraternitates sibi aggregantes, seu erigentes, id præstant auctoritate illis à Pontificibus delegata; cujus vigore possunt aggregare seu erigere, & gratias communicare; sed Societates † aggregatæ, aut erectæ, vel quibus privilegia, indulgentiæ, & aliæ gratiæ sunt communicatæ, non possunt easdem alijs communicare, quia delegata facultas ad alias personas, quàm expressas, prorogari non potest, c. P. & G. in fin. & ibi Abb. in priuc. & num. 13, de offic. deleg. Archid. in cap. rogo, num. 3, 11, q. 3. Bart. in l. 1. num. 6, & ibi Bald. etiam num. 6, ff. de jud.

38 Statuta verò † pro regimine confraternitatum edita confraternitatibus, & congregationibus erigendis, instituendis, & aggregandis, & quibus communicationes privilegiorum fiunt, imperitari non possunt: nisi prius ab Episcopo diocesano examinata, & pro ratione loci approbata fuerint, quæ nihilominus ejusdem Episcopi decretis, ac moderationi, & correctioni in omnibus semper sunt objecta, ut in eadem constitutione §, statuta autem. Cum enim confraternitatum statuta ad Deicultum, aut animarum salutem, seu ad pauperes sustentandos sit instituta.

39 Episcopi etiam, † tamquam Sedis Apostolicæ delegati, ex officio juxta sacrorum